

Quaestiones Simonideae.

Scriptit

G. K a i b e l.

Litterae graecae postquam accuratius cognitum habemus per quot qualesque manus ad nos usque traditae sint, quae fuerit veterum in his tractandis rebus ars, qui denique extiterint potissimum homines huic arti plane dediti, veterum narratiunculis diffidere didicimus credulique esse desiimus. Alexandriae vel Byzantii qui bibliothecarum catalogos conficiebant plenissimos et nitidissimos, eorum intererat nimirum, ne quod volumen integro indice careret; inprimis autem ne scriptoris nomen deesset in sillybo curabant. Hoc idem studium suum cuique libro auctorem vindicandi idemque adespotorum taedium obtinuit, vel potius eo acrius invaluit, quo magis hominum iudicium debilitabatur, ut saepe Byzantinorum sive errores sive fraudes aegre deprendi possint. Luculentissima exempla Cephalae anthologia vel, ne iusto malignior sim adversus hominem optime meritum, omnia omnino epigrammatum florilegia praebent. Horum enim carminum quotquot ex lapidibus describebantur poetarum nomina nisi recentissimis temporibus adscripta non habebant, sicuti docemur et ex eis titulis qui antiquae aetatis ipsi supersunt et ex eis quos a Philochoro, Polemone, aliis traditos tenemus quamvis paucos; descripti autem et recepti in florilegia nominibus insigniebantur saepe perperam, saepius fortuito, raro recte inventis. Postea vero cum demonstrativum genus increbuisse summaque omnium cum contentione excoleretur, saepius factum est, ut vilissimum quodque ingenium celeberrimo cuique poetae suos fetus mala fraude iniungeret; hac enim in re veteres constat parum religiosos fuisse. Ab utraque parte saepissime in Simonidis Cei memoriam ita peccatum est ut nostra quoque aetate magnus epigrammatum numerus nullo iure eius nomine inscribatur. Qua re

intellecta ante hos tres annos Iunghahn Berolinensis quaestiones scripsit de Simonidis Cei epigrammatis (Vierter Jahresbericht über d. Luisenstädtische Gymnas. in Berlin. 1869) certisque plerumque rationibus nusus nonnulla Simonideis exemit, quae impune antehac Simonidea ferebantur. Illius operam mihi consilium est continuare, pauca certioribus finibus circumscribere, quaedam addere nova.

Omnes cum consentiant, ad eorum celebrandam memoriam qui bellis Persicis ceciderunt eisque ornandis donariis quae tunc grato animo Graeci in deorum templis dedicaverunt Simonidem pleraque omnia scripsisse epigrammata, tamen unus dissentit quadamtenus Herodotus, testis hercle non spernendus. Enarrata enim pugna apud Thermopylas commissa sic ille pergit (VII, 228): *Θαφθεῖσι δὲ σφι αὐτοῦ τούτῃ τῇ περ ἔπεσον καὶ τοῖσι πρότερον τελευτήσασιν ἢ ὑπὸ Λεωνίδῳ ἀποπεμφθέντας οἴχεσθαι, ἐπιγέγραπται γράμματα λέγοντα τάδε*.

Μυριάσιν ποτὲ τῇδε κτέ. ep. 91 ap. Bergk. P. lyr.³

ταῦτα μὲν δὲ τοῖσι πᾶσι ἐπιγέγραπται, τοῖσι δὲ Σπαρτιάται ἰδίῃ.

Ὡς ξεῖν' ἄγγελον κτέ. ep. 92 B.

Λακεδαιμονίοισι μὲν δὴ τοῦτο, τῷ δὲ μάντι τόδε.

Μνήμη τόδε κλεινοῦ Μεγιστίᾳ ep. 94.

ἐπιγράμμοισι μὲν νῦν καὶ στήλῃσι ἔξω ἢ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα Ἀμφικτύονές εἰσι σφας οἱ ἐπικομήσαντες τὸ δὲ τοῦ μάντιος *Μεγιστίᾳ Σιμωνίδῃς ὁ Λεωπρέπός ἐστι κατὰ ξενίην ὁ ἐπιγράφας*. Hoc dicit Herodotus, ceterorum cippos et epigrammata Amphictyones facienda curasse, Megistiae autem tumulum Simonidem fuisse qui in hospitis honorem carmine exornasset: nihil ultra. Poetam etiam extruxisse suis impensis hospitis sepulcrum, ex Herodoti verbis vix efficias: *ἔξω ἢ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα*¹. inquit, et porro: *Σιμωνίδῃς — ὁ ἐπιγράφας*. Quapropter cum Simonidis nomen non additum fuisse certum sit — non enim nominantur ut dixi poetae in monumentis — hoc quidem nescimus, unde Herodotus Simonidem vatis epitaphii poetam cognitum habuerit, illud vero pro explorato ponemus, nesciisse eum qui cetera epigrammata composuisset. Herodoto autem de hac re plus scire nec veteres potuerunt nec nos

¹ Haec verba cur Kruegero delenda videantur, non assequor. Interpolatorem vix expectares insolitam ceteroquin, vere tamen Herodoteam dictionem *ἔξω ἢ imitaturum* fuisse. Rei autem ipsi aptissima sunt. Accusativum τὸ *ἐπίγραμμα* pro dativo quem postulat Kr. ex libere quadam structura explices. Observabatur scriptori iam illud quod statim sequitur vocabulum *ἐπιγράφειν*.

opinor possumus. Immo cum unius carminis poetam noverit Simonidem, cetera qui scripserit — eodem haec tempore insculpta — ignoraverit, hinc etsi non necessarium, at probabile tamen vel maxime est, Peloponnesiorum et Lacedaemoniorum epigrammata Simonidem non scripsisse. Itaque nihili facienda Ciceronis (Tusc. I, 42) et Anthologiae (VII, 248. 249) testimonia; hoc unum licet concedam, qui primus Simonidi duo illa carmina accensuisset, facile eum decipi potuisse parum accurata Herodoti interpretatione.

Ab Herodote ad Aristidem deferor, qui or. 49 eos castigans qui ipsi sese nimia laude extulerint etiam ad sepulcrorum et anathematum epigrammata magniloqua provocat haece (v. II p. 511 sqq. Dind.): ep. 90: *Ἑλλήνων προμαχοῦντες κτέ.* ep. 102: *Ἀμφὶ τε Βυζάντειον κτέ.* ep. 142: *Ἐξ οὗτ' Εὐρώπην κτέ.* ep. 132: *Ἔθνεα Βοιωτῶν κτέ.* ep. 91: *Μυριάσιν ποτὲ τῆδε κτέ.* denique ep. 99: *Ἀκμῆς ἔστακ' ἔτι ἐπὶ ξυροῦ κτέ.* Tum: *ὥστε ὦρα σοι σκάπτειν ἀντὶ τοῦ ὡς ἀδολέσχας τινὰς νεκροὺς καὶ οὐκ εἰδότας ἡσυχίαν ἄγειν. κατὰ σε ἀνὴρ τις Σιμωνίδειος ἀμείνεται, ὦνθρωπε, κείσθαι ζῶν ἔτι μᾶλλον τῶν ὑπὸ γῆς ἐκείνων.* Haec qui respondet haecpropter nimirum homo Simonideus audit, quia utpote Simonidis versu usus (fr. 60 B) in huius poetae carminibus bene versatus videtur, non quod Simonidem illorum epigrammatum auctorem vindicare voluisset. Tamen altera interpretandi ratio Bergkio probata esse videtur, dum ad ep. 142 adnotat: 'Simonidis esse idem (Aristides) significat 513, ubi rursus integrum epigramma una cum aliis Simonidis carminibus affertur'. Pag. 513 autem ea quae postremo loco exscripsi Aristidis verba sola sunt quae ad rem faciant. Atqui demonstrari potest, complura eorum quae anonyma tradidit Aristides epigrammata revera non esse Simonidis. Satis dictum est de ep. 91, quod ne ipse quidem Herodotus ei adscribi patitur. De ep. 132 legenda quae Kirchhoff (Sitzgsber. d. Berl. Akad. 1869 p. 409 sqq.) ita disputavit, ut dubitationis iam nihil superare possit. Particulam carminis quamvis exigua marmoris fragmento inscriptam repperit litteris ol. 82 non vetustioribus. Praeterea lemma Palatinum (VII, 343) — ne dicam de Herodoti silentio qui affert V, 77 — teste Bergkio 'a m. pr. ἀδελον, a m. s. Ἡροδότου' habet; Aristidis vero scholiasta ed. Fromm. p. 351: *οὕτως Ἀγρων ἐν ἐπιγράμματι ἐπὶ τῷ τεθρίππῳ*, quem Agronem seu cum Bergkio Anacreontem interpretemur, sive quemlibet alium, Simonidis certe nullum est indicium. Ep. 90 (memorat etiam Lycurgus 109 et mira cum lectionis discrepantia schol. Arist. p. 289 ed. Fr., sine poetae nomine uterque) et ep. 102, quod ne integrum quidem est, nusquam Simonidis nomen sibi arrogaverunt. De ep. 99 infra

dicendi locus erit. Ampliorem iam disputationem flagitat ep. 142; neque enim Iunghahn, qui bene tractavit l. s. s. p. 25 sqq. omnia videtur expediisse. Demonstravit autem ille — ut breviter haec repetam — servata Diodori et Anthologiae lectione v. 5 ἐν Κύπρῳ omnia cum perversa Diodori de proeliis Eurymedontiis narratione concinere, adversari vero Thucydideae veriori, demonstravit verba οἶδε γὰρ ἐν Κύπρῳ — ἀνδρῶν πληθούσας (v. 5—7) ad solam navalem pugnam referenda esse, ita ut terrestres proelii nec vola nec vestigium sit in epigrammate — nam quid erraverit dum terrestres pugnae mentionem necessariam ratus extremum versum coniectura plane improbabili tentaverit, alio loco ostendi — atque effecit inde, epigramma neque Simonideum neque omnino Cimoni aequale videri. Itaque cum alia constet falso, alia parum curiose in hoc epigrammate narrata esse, ad eam aetatem referendum est, qua accurata rerum notitia non iam vigeret eive poetae dandum, cuius non iam interesset de rebus sibi celebrandis certa explorasse. Adeo plenum est carmen offensionis ut haud inepte cuiquam Iebbius adnotasse videatur: 'Haec forsitan ex Archelai aut Melanthii scriptis desumpsit Aristides; hi etenim ambo carmina in Cimonis laudem composuerunt teste Plut. Cim. p. 878'. Et memorabili sane dicendi ratione Aristides utitur II p. 209 D: ἐπὶ δὲ Εὐρυμέδοντι ποταμῶν ναυμαχίας καὶ πεζομαχίας μνημεῖα ἔστησεν ἀμφοτέρω ἡμέρᾳ μὴ νικῶν· ὥστε τοῖς προτέροις ἔργοις ἐκπεπληγμένων τῶν ποιητῶν τοῖς οὗτ' ἐπῆρσαν οἱ βάρβαροι παραθεῖσιν, ὅμως τις ὑμνήσεν εἰς ταῦτα ὑστερον οὐ πάντα, ἀλλὰ μῦς πινος ἡμέρας ἔργον· Ἐξ οὗτ' κτλ.' Quid enim ἐκπεπληγμένοι illi poetae? Nonne ὑμνεῖν verbum (cf. paullo infra παρυμνεῖν) poetam potius significat, qui suo ipsius instinctu Cimonis gloriam cecinerit quam laudatorem publice delectum? Etsi falsi sint sane si qui hinc elegiae fragmentum quam epigramma agnoscere malint, tamen fatendum est, nihil esse vestigii unde epigrammatis naturam augurere. Ambigebatur sepulcrale esset an dedicatorium. At οἶδε pronomen (v. 5) quasi digito mortuorum corpora monstrat. Mirum vero de mortuis nullum verbum fieri; ne vocabulum quidem θνήσκειν sim. obvium est. Itaque Bergk cum Diodoro inter dedicatoria numerans ita angustias omnes sibi videtur evitasse, ut coniceret 'in memoriam victoriae Cimonis ceterorumque ducum statuas dedicatas fuisse'. Sed singuli duces ubi praedicantur, etiam facinora qualia duces decerent necesse erat efferrentur, ita ut μαρνάμενοι participium multo aptius fuisset v. 5, quam δλέσαντες quod militum magis multitudinis est. Vide sis egregium epigrammatis fragmentum Delphis inventum (cf. Bergk. Arch. Ztg. 1850 p. 172):

πεζοὶ δ' ἱππῆες τε γέρας θέσαν, οὓς προέηκεν
 δᾶμος ὁ Βουωτῶν τοῦδε μεθ' ἀγεμόνος
 ὁσσαμένους Ὀπλέντα¹

Praeterea vero si Bergkium sequimur, non satis liquet, quonam loco carmen inscriptum ad omnes simul statuas pertinere potuerit. Itaque epidicticum esse forsitan quispiam epigramma coniecerit. At qui tandem factum esse putes, ut Xanthium monumentum qui suis versibus adornavit — de quo mox dicam — is demonstrativum aliquod carmen quod nullo publico loco legebatur imitaretur! Luculenter hoc explicatum esset, si eo quem affectat Pamphyliæ loco amplo duplicis victoriae monumento incisum fuisset. Et fuit sane. Quod quando factum sit, quia rebus ipsis aequale non fuisse carmen demonstratum est, iam quaeritur. Celeberrimi enim Xanthii quod dicitur monumenti titulum etiam Bergk adnotavit primum versum eundem habere atque epigramma Simonideum:

Ἐξ οὗτ' Εὐρώπην Ἀσίας δίχα πόντος ἔνευμεν,
 οὐδέεις πω Ἀνκίων στήλην τοίανδ' ἀνέθηκεν.

Ara est duodecim dis dicata circa Alexandri Magni tempora, ut probabiliter statuit Leake (Transactions of the Royal Society vol. II 1847 p. 27 sqq.). Quaeritur utrum carmen aetate sit superius; quod disceptari potest in auxilium vocato titulo altero C. I. 85, in quo Sosibius et Pyrrhas a Cecropiis tribulibus his versibus honorantur:

Ἐξ οὗ Κέκροπα λαὸς Ἀθηναίων ὀνομάζει
 καὶ χώραν Παλλὰς τήνδ' ἔκτισε δῆμῳ Ἀθηῶν
 οὐδείς Σωσιβίον καὶ Πύρρᾴ μελίζονα θείην (?)
 γνῶν Κεκροπιδῶν ἔργῳ ἔδρασ' ἀγαθή.

Scriptum hoc epigramma a. 375 (cf. Boeckhii adnot.) longe propius accedit ad Simonidei carminis quam ad Xanthii tituli similitudinem. Magniloquam duorum versuum protasin utrique communem Xanthius poeta in unum coartavit; ut in Simonideo (v. 2) Mars hominum vexator, ita in Cecropidarum titulo Pallas Atticae terrae constitutrix appellatur; comparativi κάλλιον (Sim. v. 3) et μελίζονα (C. I. 1. s. v. 3) accurate inter se respondent. Itaque iam diiudicandum, Sosibii Pyrrhaeque an Cimonis laudes antiquiores sint; neque spero quemquam quid respondeat in suspenso fore. Magnifica illa verba Ἐξ οὗτ' Εὐρώπην κτλ. facile quis imitator in hanc tenuitatem detorquere poterat: Ἐξ οὗ Κέκροπα λαὸς κτλ., non vero contra ex hoc pusillo versu ille verborum splendor nasci potuit.

¹ Subsculptum fuit, ut recte vidit Bergk, Ptolemaei Lagi statuae, quam commemoratam invenio ap. Paus. X, 10, 2.

Sequitur carmen Eurymedontiacum ante annum 375 ortum et insculptum esse et eo quidem tempore opinor, cum Atheniensium auctoritas post Cononis victoriam in eis regionibus aliquanto plus polleret. Cf. Xen. Hell. IV, 9, 29 sq. Haud ita multo post ab Ephoro eiusve auctore ex lapide in historias translatum epigramma — quod iam apparet qui respicere Lycurgus § 72, imitari Cecropius poeta potuerit — in Diodori denique manus traditum est, cui antiquissima eius memoria debetur (Diod. XI, 62). Mirum in modum fateor Ephorus de antiquitate et origine monumenti decipi se passus est, si quidem haec quoque Diodori verba ad eum redeunt: *ὁ δὲ δῆμος τῶν Ἀθηναίων δεκάτην ἐξελόμενος ἐκ τῶν λαφύρων ἀνέθηκε τῷ θεῷ (τῇ θεῷ Bergk ex uno Diod. cod. Minervam intellegens) καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ἐπὶ τὸ κατασκευασθὲν ἀνάθημα ἐπέγραψε τήνδε· Ἐξ οὗτ' κτλ.* Sed sumas dummodo litteras ex antiquitatis imitatione formatas fuisse, proclivis erat error; monumentum ipsum nihil obstat quominus ex decima praedae parte olim extractum credamus. Cui si septuaginta fere annis post ipsam victoriam carmen additum esse statuimus, habemus iam, quo referamus pronomen οἷδε (v. 4). Veri enim est simile, cum monumentum conditum esset, Athenienses pedestri sermone inscripsisse quae causa fuisset condendi hunc fere in modum: οἱ Ἀθηναῖοι καὶ . . . τοὺς Πέρσας νικήσαντες . . . Ἀπόλλωνι (s. Ἀθηναίᾳ) δεκάτην. Hinc ille suum repetiit οἷδε. — De poeta autem si instes quaerere, Simonidem nec Diodorus neque Aristides epigramma fecisse perhibent. At lemma Palatinum hoc est (VII, 296): *Σιμωνίδου τοῦ Κήρου* (haec a. m. s. teste Bergkio) et a. m. pr. *εἰς τοὺς μετὰ Κίμωνος στρατευσαμένους ἐν Κύπρῳ Ἀθηναίους κτλ.* Anthologiae fides cum saepius sit in dubitationem vocanda, eo memorabilius videtur, quod hoc ipsum haud dubie spurium epigramma ea ratione illic traditum est, quae nullam plane moveat suspicionem. Cavendum igitur utique est, ne citius unquam huic testi credamus: mendax est ac fallax, ut non magis alter. Etiam Aristidis scholiasta Simonidem nominat poetam: *εἰς τὰς ἀνθιμερὸν ταύτας νίκας Σιμωνίδης ὕμνησε λέγων*, quae verba neminem fugit ex ipso rhetoris loco expressa esse: *ὁμῶς τις ὕμνησεν*. Itaque evolvit ille quisquis fuit quamlibet epigrammatum syllogen indeque Simonidis nomen falso adscriptum repetiit. Peculiarem fontem eum de poetae nomine adiisse noli credere; certe enim huius potius verba rettulisset quam Aristidis. — Unum superest ep. 99 apud Aristidem eodem loco non minus sine poetae nomine traditum, quod tamen commodius una cum aliis carminibus tractabitur, quae ex Plutarcho redundant.

In libro enim de Herodoti malignitate scripto Plutarchus, quem non esse Plutarchum censent, acerrimus Corinthiorum aliorumque contra Herodoti calumnias defensor etiam publicis monumentis quae inscripta opinabatur epigrammata, haec tamquam gravissima testimonia in medium produxit. Ex his quae Corinthiorum res spectant (epp. 98, 99, 134, 101 ap. Plut. p. 454 sq. vol. IV op. mor. ed. R) aut a Dione Chrysostomo, si quidem eius est oratio Corinthiaca, aut in Anthologia demum Simonidi tribuuntur. Tacet Plutarchus. Sunt autem supra modum magniloqua et mendaci Corinthiorum laude referta atque ita pugnant cum historica Herodoti fide, ut recte Iunghahn tum ob hanc causam tum ob alias vix minus graves in subditiocorum numerum ea rettulisse putandus sit. Sed nolo recogliere eius disputationem: hoc potius agam ut novis argumentis spuria ea esse coarguam.

Corinthiorum virtutis locupletes testes Plutarchus repperit Athenienses, qui concessissent eis mortuorum corpora ut Salamine prope urbem inhumarent titulumque sepulcro imponerent hunc: Ὡς ξείν' εὐνοῶν κατέ. (ep. 98). Simonidem auctorem ignorat Plutarchus, novit Dio Chrys. (or. 37, 525), ut tamen huius testimonio diffidere quam confidere prudentius sit. In eodem enim atque Plutarchus argumento versatus huius vestigia legit aperteque ab eius ore pendet; itaque quod Simonidis adicit nomen, intellegis hinc, quanta levitate poetae nomine abuti consuerint. Sed talia sectari nihil opus est. Nam etsi maxime non puduisset Corinthios mendaci studio suas laudes nimium quantum exaggerare, tamen antiquo poetae qualis est Simonides cavebimus ne tribuamus tales et rerum et verborum sordes. Mira quaedam Dionem inter et Plutarchum lectionis extat discrepantia v. 3. Plut. enim legit ἐνθάδε adverbium inepte ad ea quae antecedunt referendum: ἦν δ' ἄμ' Ἀλάντος νῆσος ἔχει Σαλαμίς — ἐνθάδε. Dio vero — cuius orationem Plutarchea cavillatione posteriorem esse et Lahmeyer contendit (De libelli Plut. qui de mal. H. inscribitur et auctoritate et auctore. Gottingae 1848. p. 84) et nos modo intelleximus — Dio igitur probe perspicuens quantopere langueat illud ἐνθάδε reposuit lectionem ῥεῖα δὲ nescio unde arreptam eamque multo etiam vesaniorum. Quid enim? Facile hostium copias se delevisse gloriantur, qui mortem occubuerunt hostium manu interempti? Quid? Non vicisse, non fortiter certasse se, sed facile expugnatas naves hostium iactant! Denique quale hoc est dicendi genus: Πέρσας ἑλόντες καὶ Μήδους, quasi plane diversi habitus essent tunc temporis Medi et Persae! Doctum agnoscimus poetam qui simul Πέρσας trochaeum dorice sibi indulsit

Corinthios eosdem fallacissimae memoriae poeta praedicat ep. 99, 1 et 2; ceteris enim versibus quid faciendum sit, statim videbimus. Insculptum fuisse dicitur cenotaphio quod Corinthii in Isthmo civibus Salamine occisis posuissent. Primum tantummodo distichon Plutarchus habet, pleno quidem absolutoque sensu, sed cum nec qui ceciderint nec quorum manibus succubuerint dictum sit, certe aut imperfectum aut spurium est. Videatur prius verum esse ita ut — id quod iure mireris — Plutarchus putandus sit unum distichon posuisse, cetera vel nimis nota vel supervacanea ratus omisisse. Plenior enim carminis imaginem Aristides servavit II p. 512 D: *ἑτεροι δ' αὖ λέγουσιν*:

*Ἀκμῆς ἐστακνῦαν ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν
ταῖς αὐτῶν ψυχαῖς κείμεθα θυσάμενοι
δουλοσύνας· Πέρσας δὲ περὶ φρεσὶ πῆματα πάντα
ἤψαμεν ἀργαλέης μνήματα ναυμαχίας.
ὅστέα δ' ἄμμιν ἔχει Σαλαμῖς· πατρίς δὲ Κόρινθος
ἀντ' εὐεργεσίας μνημ' ἐπέθηκε τόδε.*

En fortissimos Sisypthidarum, quales Plutarcho obversabantur. Num vero genuinum epigramma esse possit, dubito equidem vehementer. Primum enim distichon ubi legeris: *κείμεθα Ἑλλάδα πᾶσαν θυσάμενοι*, nonne eo ipso loco, quo monumentum positum est etiam homines sepultos esse putabis? At frustra manes veneraberis. Lege reliqua: *ὅστέα δ' ἄμμιν ἔχει Σαλαμῖς*. Tertio demum disticho comperies cenotaphium esse. Quid vero? Ne ipse quidem poeta constare sibi videtur. Pergit enim: *πατρίς δὲ Κόρινθος — μνημ' ἐπέθηκε τόδε*. Adeone male cognitum habuit antiquissimus poeta verbi *ἐπιθεῖναι* usum? At facili manu correxeris *ἀνέθηκε*. Verum fortasse. Sed recte offendit Schneidewinum alios garrulum alterum distichon priori vilissimo vinculo iunctum. Talia vix simplicem antiqui ingenii artem redolent. Non primitus iuncta inter se fuisse tria illa disticha etiam aliud est indicium. Aristides enim or. 13 I p. 204 D. Athenienses potissimos Graecis libertatis reciperae auctores extitisse demonstrat: *ἐκείνη γὰρ (Atheniensium civitas) — ὥσπερ μητρόπολις καὶ ἀφορμὴ τῶν ὕστερον πάντων ἐγένετο τοῖς Ἕλλησιν, οὐ μόνον τῶν ἐν τοῖς πολέμοις ἀγώνων ἀντὶ χρηπείδος ἢ παραδείγματος προτελεσθεῖσα, ἀλλὰ καὶ κτῆ*. Ubi scholiasta: *παραδείγματα* — *ὅα δὲ βαρβάρων καταφρονεῖν· ἀκμῆς — — — θυσάμενοι*.

παῖδες Ἀθηναίων Περσῶν στρατὸν ἐξολέσαντες

ἤρκεσαν ἀργαλέην πατρίδι δουλοσύνην.

Haec duo disticha ne recte conglutinata putemus vetat grammatica ratio; attamen cum scholiasta saltem pro uno epigrammate habuerit

— id quod rhetoris verbis comparatis elucet — noli casu fortuito coaluisse arbitrari. In aprico est unum distichon ἀκμᾶς κτέ. per se olim absolutum extitisse eique postea alios ut Corinthiorum encomion efficerent duo illa disticha δουλοσύνας — μνήμῃ ἐπέθηκε τόδε (ep. 99 B), alios ut Athenienses in iustum honoris locum restituerent hoc distichon: παῖδες Ἀθηναίων — δουλοσύνην (ep. 100 B) adnexuisse. Quod qui addiderunt rerum veritatis magis studiosi, ducebantur in primis eo quod eadem δουλοσύνη et ἀργαλέος vocabula etiam in falsa ista quam Aristides tradidit Corinthiorum laudatione legebantur (ep. 99 B). Itaque cum ep. 99, vv. 3—6 certa ratione spurios esse ostenderimus, restat ut de duobus quae seorsim ferebantur distichis diiudicetur ἀκμᾶς — κείμεθα ἐνσάμενοι (ep. 99, 1 et 2) et παῖδες Ἀθηναίων κτέ. (ep. 100). Quorum prius nihil habet quod reprehendas, praeterquam quod nec mortuos homines neque hostes devictos quinam fuerint significat; unde antiquo sepulcro insculptum fuisse nequit¹. Alterum cum et ipsum absolutum per se videatur, non magis tamen integrum est, quoniam Athenienses patriae quidem assertores extitisse, non vero pro patria cecidisse praedicantur. Itaque nolo cum Bergkio referre ad Athenienses apud Plataeas interfectos coll. Paus. IX, 2, 5: τοῖς μὲν οὖν λοιποῖς ἔστιν Ἑλλήσιν μνήμα κοινόν, Λακεδαιμονίων δὲ καὶ Ἀθηναίων τοῖς πεσοῦσιν ἰδίᾳ τέ εἰσιν οἱ τάφοι καὶ ἐλεγείᾳ ἔστι Σιμωνίδου γεγραμμένα ἐπ' αὐτοῖς, ne dicam exiguam esse huius loci fidem, quae nullo modo conciliari potest cum Herod. IX, 85. — Iam vero qui

¹ Epigrammatis graeci origo ex simplicissimo indice ducitur, quo nomina tantummodo sive dedicatoris eiusque cui quid dedicatur, sive mortui hominis indicabantur. Mox vero nimia sprete simplicitate formam ut solebant pulcram numerisque adstrictam Graeci titulis et dedicatoriis et sepulcralibus induere maluerunt. Quis dedicaverit, quae causa fuerit dedicationis, quanta dedicatoris erga deos sit pietas, quis fuerit mortuus, quomodo perierit, quantum superstitionibus reliquerit dolorem, quis denique sepeliverit — haec omnia verbis iam exprimere cupiunt poeticis. Hunc in modum ortum carmen omnes nimirum simplicis qui antea fuit indicis partes explorare debebat. Nihil igitur eorum quae in pedestri titulo legebantur desiderari fas erat in metrico, ut lemmate quodam peculiari quo extra versus posito mortuorum sive dedicantium nomina indicarentur nihil opus esset. Et hanc quidem legem per omnes quos tenemus saeculi quinti titulos accurate observatam videmus; violata est tum demum, cum sententiarum acumine epigrammata distinguebantur neque locus iam erat nominibus inserendis. Simonidis itaque epigrammata postulari potest ut per se ipsa lemmate addito nullo intellegi possint; quod ubi secus est, suspitioni spatium datur.

factum sit quaerimus ut horum omnium quos castigavimus versuum — sunt autem disticha quatuor — Simonides auctor ferretur. Ad Aristidis verba or. 13 I p. 214 D: ἐν τούτῳ κοσμήσαντες τὴν Ἑλλάδα τῷ καλῶς ἀποθανεῖν in scholiis codd. BD post ep. 95, quod optime huc facit, sic pergitur: ἔτεροι (sc. στίχοι) τοῦ αὐτοῦ (Simonidis): παῖδες Ἀθηναίων κτέ. Difficile dictu est quid hoc distichon ad rhetoris verba illustranda conferat. Nam mortis nec vola nec vestigium, nedum pulcræ mortis (τῷ καλῶς ἀποθανεῖν Arist.). Cum cur huc inculcatum sit plane non intellegatur, nec lemmati quicquam fidei est; Simonidis nomen minime certo constat testimonio. Ne Anthologia quidem nominum minime parca accinit; inscriptum enim VII, 257: ἄδελον εἰς τοὺς Ἀθηναίους προμύχονος. Distichon autem ἀμῶς κτέ. Simonidi tribuas necne, ab unius Anthologiae fide pendet, quae hoc certe loco nulla est. Legitur enim VII, 250 lemmate τοῦ αὐτοῦ notatum εἰς τοὺς αὐτούς. Praecedunt autem duo epigrammata, eidem utrumque adscriptum, iniuria tamen utrumque, ut supra demonstravimus. Errorem eius qui addidit εἰς τοὺς αὐτούς non tango; simile quid tractavi in dissert. quam scripsi De monumentor. aliquot graecor. carminibus. Bonnae 1871. p. 11 sq.

Etiam certior res est de aliis duobus quae in Corinthiorum laudem condita sunt epigrammatis. Ep. 101 inanes Adimanti laudes efferuntur, quem proditorem rectius quam liberatorem patriae dicas: οὗτος Ἀδεμάντων κείνου τάφος, οὗ διὰ βουλὰς κτέ. Quos versus ne pro vere Simonideis accipiamus, uti persuadere nobis vult Dio Chrys., vetat pronomen οὗτος, quod verissime observavit Iunghahn 'apud poetas Simonidi aequales eosque qui ante eum et paullo infra' fuerint satis angustis finibus coercitum habere usum, ita ut — hoc unum nunc quidem ad rem facit — in illius aetatis epigrammatis nunquam 'vel tumulus vel is mortuus, cuius est sepulcrum, vel res dedicata' eo pronomine significari potuerit; cf. Iungh. p. 7 sqq. 12. Est igitur epigramma suspectum cum propter mendacium turpissimum tum propter recentiore pron. οὗτος usum, quibus tertium addo hoc. Traditur enim etiam nominato Simonide in A. Pal. VII, 347: ibi quod Simonidi accensetur c. 344, non sine idoneis causis addubitavit Iunghahn p. 32 sq. C. 345 ab Athenaeo rectius Aeschryoni tributum traxit Simonidis nomen ex antecedenti lemmate. C. 346 poetae nomine caret: Simonidis esse non posse quivis intellexit, utpote in Sabinum quendam scriptum; absque hoc foret, non dubito quin hoc quoque ei datum fuisset. C. 347 Adimanti denique epitymbium in apogr. Paris. anonymum est, in ipso Codice secunda demum manu Σιμωνίδου τοῦ Κήου inscribitur,

quod tamen lemma incertum esse testantur ad hoc an ad proximum carmen pertineat. Sequitur autem distichon in Timocreontem gulosum et maledicum, cui minutis litteris teste Duebnero adscriptum est *Σιμωνίδου*, unde colligas eo tempore nomen additum esse, quo antecedens epigramma nondum Simonidis nomen prae se tulisset. Scripsisset enim ex more *τοῦ αὐτοῦ*. — Ex eodem pron. *οὗτος* recentiore ep. 134 originem evicit Iunghahn, quod Anth. P. VI, 215 inter sex alia Simonidea positum est. Denique p. 455 Plutarchus locupletissimo usus auctore — Theopompum esse docent Athen. XIII, 573 et Schol. Pind. Ol. XIII, 32 — Corinthias mulieres narrat, Persae cum appropinquassent, vota fecisse Veneri ut viris contra hostes dimicaturis animum adderet. Re bene gesta donarium eas posuisse in Veneris templo, epigramma autem subiunxisse Simonidem: *Ἄδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων κτέ.* (ep. 137). Donarium quale fuerit, ex Athenaeo, quocum non pugnat Pindari scholiasta, tutius doceberis quam ex Plutarcho qui Theopompi verbis incuriosius exscriptis multa de suo admiscuit. Athenaeus enim: *διὸ καὶ Σιμωνίδης ἀναθέντων τῶν Κορινθίων πίνακα τῇ θεῇ τὸν ἔα καὶ νῦν* (Theopompi aetate cf. schol. Pind. l. s.) *διαμένοντα καὶ τὰς ἑταίρας ἰδίᾳ γραψάντων τὰς τότε ποιησαμένας τὴν ἐκτελείαν καὶ ὅσιον*¹ . . . *παρούσας συνέθηκε τόδε ἐπίγραμμα.* Plutarchus contra de aeneis mulierum statu somniat. Igitur pictura fuit adorantium pompam exhibens, nominum indice supra insculpto. Theopompo docto et accurato scriptori, quem scimus proclivem fuisse ad talia historiis suis inserenda, cum nemo facile fidem sustineat derogare, Simonidis quin revera sit epigramma, non dubium est. Memoratu autem dignum, Plutarchum cum omnia quae ad defendendos Corinthios protulit ex uno eodemque fonte prompsisse videatur cetera quidem epigrammata quae spuria esse cognovimus omisso poetae nomine, hoc vero dedicatorium quod genuinum est Simonidis nomine addito tradidisse. Indubitatae idem Simonideae elegiae fragmentum p. 460 sq. affert poetae nomine insignitum. Tacuit vero poetam eius carminis, quod p. 443 Herodotum ut falso apud Artemisium rem minus prospere a Graecis gestam narrasse ostenderet, in medium protulit (ep. 135 B). Simonidis esse nec verus Plutarchus vit. Them. c. 8 autumat de Dianae sacello arboribus albisque columellis cincto narrans: *ἐν μὲν δὲ τῶν σιγῶν ἐλεγείον ἦν τόδε γεγραμμένον Παντο-*

¹ Inserendum puto *ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς* coll. quae dixit Athen. p. 573 C. Bergkio aut *συνθέειν* excidisse aut *παρεῖναι* infinitivus pro participio rescribendus videtur.

δαπῶν ἀνδρῶν κτέ. Quod nunquam fuisse in lapide antiquo, ostendit pronomen ταῦτα v. 4. Apparet autem opinor, alterum Plutarchum ex alterius Themistocle sua hausisse. Nam etsi altero loco Ἀσίας et ναυμαχία formae legantur, altero Ἀσίης et ναυμαχίης, tamen maioris momenti hoc esse videtur vixque fortuito casu factum, quod uterque Plutarchus licet diversis de causis epigrammati vicinum (vit. Th. c. 8. De mal. H. p. 441) Pindari locum affert (fr. 55 B). Unde cavetur ne quis, quo fides addatur carmini, diversos utrumque fontem adisse opinetur. Σήματα autem ni fallor (v. 4) poeta columellas istas nominavit, de quibus Plutarchus vit. Th. c. 8: καὶ δένδρα περὶ αὐτῷ (Dianae fano) πέφυκε καὶ στήλαι κύκλῳ λίθου λευκοῦ πεπήγαυσιν. ὁ δὲ λίθος τριβόμενος καὶ χρῶαν καὶ ὁσμὴν κροκίζουσιν ἀναδίδωσιν. Ἐν μὲν δὲ τῶν στήλων ἐλεγείον ἦν τόδε γεγραμμένον κτέ. Cum ne recentiore quidem tempore revera lapidi tam mendax poematum insculptum esse probabile sit, forsitan homo aliquis nimium sapiens columellarum originem ut explicaret composuerit. Satis igitur refutatus Schneide-
win, qui de coniectura Simonidi vindicavit.

Hucusque quoniam Plutarchum in poetae nomine sive adiciendo seu tacendo summa fide dignum experti sumus, cautum est opinor, ne iniquius indicemus de aliis duobus quae tradidit epigrammatis. Et p. 448 Naxios quidem ab Herodoto iusta laude defraudatos esse queritur; Democriti enim fortissimi Naxiorum ducis virtutem maligno silentio pressisse, quem quidem Simonides celebrasset ep. 136: Ἀμμόκριτος τρίτος ἦρξε κτέ., quod carmen cum possit dubitari sepulcrum sit an dedicatorium, recte Bergk omni ex parte integrum esse negavit. Hausit Plutarchus epigramma ex Naxiarum rerum scriptoribus, ut ipse haud obscure significavit p. 448: οἱ μὲν γὰρ Ναξίων ὁρογράφοι λέγουσιν κτέ.¹ Ex ipsa re nihil repeto suspicionis; neque enim ullo iure ab Herodoto postulari poterat, ut quaequae memoria digna a singulis apud Salaminem gesta essent omnia enarraret. Cf. Herod. VIII, 46. Itaque Plutarcho Simonidem poetam diserte tradenti ego non obloquor, neque silenti ei fidem despondeo in ep. 140 (Plut. p. 460): Τόνδε ποθ' Ἑλληνες κτέ. Inscriptum esse memorat post pugnam Plataeensem Iovis Eleutherii arae, cuius locum curatius descripsit Pausanias IX, 2 5: Λακεδαιμονίοις δὲ καὶ Ἀθηναίοις τοῖς πεσοῦσιν ἰδίῃ τέ εἰσιν οἱ τάφοι καὶ ἐλεγεία ἔσται Σιμωνίδου γεγραμμένα ἐν αὐτοῖς. οὐ

¹ (Locus Plutarchi) 'vel ex Andrisco vel Phileta (i. e. Philtea cf. Meineke Anal. Al. p. 352) vel Aglaosthene vel ex alio rerum Naxicarum scriptore petitus est'. Mueller F. H. G. IV, 304.

πόρρω δὲ ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἑλλήνων (scil. μνήματος) Διὸς ἔσταν Ἐλευθερίου βωμός. Miror sane Pausaniam cum vidisset sepulcra ornata epitymbiis eaque audiisset Simonidea esse, arae quoque Iovis si quod carmen et Simonideum illud quidem insculptum fuisset, hoc sedulo tacuisse. Mihi cum praesertim A. Pal. VI, 50 Simonidis nomen in rasura demum legatur, Plutarchus autem Aristidis biographus (c. 19) non magis poetam nominet quam Herodoti calumniator, ab Simonide non profectum esse videtur¹. Fortasse quia ad suam usque aetatem circa Iovis aram Plataeenses ludos quinquennales celebravisse narrat Pausanias, poeta nescio quis hoc carmine celeberrimi certaminis originem cecinit. Quod si ita est, intellegis cur ἔλευθερα Ἑλλάδι κοινὸν βωμὸν vocaverit ille.

Denique Pausanias Lacedaemonius quod Delphico tripodi inscripsit epigramma unde Plutarchus p. 464 traditum acceperit, in promptu est. Thucydides enim I, 132 Pausaniae cum alia tum hoc opprobrio datum esse narrat, ὅα ἐπὶ τὸν τρίποδά ποτε τὸν ἐν Δελφοῖς, ὃν ἀνέθεσαν οἱ Ἕλληνες ἀπὸ τῶν Μήδων ἀκροθίνιον, ἡξίωσεν ἐπιγράψασθαι αὐτὸς ἰδίᾳ τὸ ἐλεγεῖον τόδε.

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων,

Παυσανίας Φοῖβῳ μνήμ' ἀνέθηκε τόδε.

Et pergit: τὸ μὲν οὖν ἐλεγεῖον οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐξεκόλασαν εὐθὺς τότε ἀπὸ τοῦ τρίποδος τοῦτο κτέ. Hunc Thucydidis locum Plutarchum exscripsisse vel unum vocabulum ἐκκολάπτειν utrique commune docet. Neque minus orationis contra Neeram auctor, quem Apollodorum esse credunt, omnia quae inde a § 94 usque ad § 106 de Plataeis narravit, ex Thucyde expressit. Cf. Schaeferi Demosthenes und seine Zeit III², 182. Sed quorsum haec? Ut sciatur qui factum sit ut nec Apollodorus nec Plutarchus epigrammati poetam vindicaverit; adscripsit enim ne Thucydidis quidem. Simonidis nomen Pausaniae demum et Anthologiae testimoniis constat. Ille enim III, 8, 2: ὅα γὰρ μὴ τῇ Κυνίσκᾳ τὸ ἐπίγραμμα ἐποίησεν ὅστις δὴ, καὶ ἔτι πρότερον Παυσανίᾳ τὸ ἐπὶ τῷ τρίποδι Σιμωνίδης τῷ ἀνατεθέντι ἐς Δελφοὺς κτέ. Non tamen ea est Pausaniae in his rebus auctoritas, quam sine cunctatione amplectamur; nimis saepe enim fabellis nititur per hominum ora vagantibus. Equidem Simonidem Pausaniae Lacedaemonii epigramma scripsisse non credo. Neque enim tam vili fuit ingenio poeta, qui praeclara Graecorum facinora in unius hominis gratiam obscuraret et detrectaret; cum praesertim

¹ Ceterum v. 1 necessario scribendum Νίκης κράτει, ἔργῳ Ἀφροδῆς, ut dea intellegatur Marti socia.

periculosum esset tam publico officio eum colere, qui in iustam proditionis suspicionem dudum incidisset (cf. Thuc. l. s. s.). Nam ex ipsa pugna ubi invidiam odiumque omnium sibi conciliavit aliquantum certe temporis intercessit, quoad tripodi confecto dedicatoque suum nomen posset inscribere. Itaque Simonides Atheniensibus propter superiorum victoriarum laudes acceptissimus si Lacedaemonii superbiam sua Musa adiuuabat et augebat, non tutus hercle erat a poena. At Schneidewin (Sim. Cei rell. p. XIX): 'Pausaniae, inquit, floruit hospitio, cui multa ab ipso facete dicta celebravit antiquitas'. Quidni tanti viri amicitiae indulgere poterat poeta 'non illiberalis' (id. p. XXIX)? Proclivi animo scimus veteres saepe celebriores homines qui eadem aetate fere flourissent vel amicitiae vel similis necessitudinis vinculo inter se coniunctos finxisse ac praecipue poetas regum vel principum familiaritati insinuos, sicuti Dionysius Halicarnassensis in musica historia dum poetarum vitas persequitur nunquam memorare praetermisit, quorum principum gratia ac consuetudine singuli usi essent. Hoc studio non raro transversim agebantur, eos ut conciliarent, quibus nihil unquam inter se commune fuisset. Itaque cavendum est, ne praepropere Simonidem inter Pausaniae familiares hospitesve fuisse credamus. Tamen si maxime fuerit, vide qualia utriusque colloquia adumbraverint narratiunculae apud Plutarchum et Aelianum traditae (Schneidew. p. XIX). Pausanias suis meritis superbiens poetam iubet sibi proferre aliquid sapienter idemque facete dictum. Tum Simonides *συνεῖς αὐτοῦ τὴν ὑπερηφανίαν συνεβούλευε μνησθαι ὅτι ἀνθρώπος ἔστι*. Ita Plut. consol. ad Apoll. p. 105 A. Eadem fere Aelianus V. H. IX, 41, sed maximopere ad notissimae de Croeso et Solone fabellae similitudinem exornata. En tibi sapientissimum poetam, quo nemo hercle poterat aptior esse ad Pausaniae vanitatem et superbiam epigrammate extollendam. Immo aut fallor aut hoc ipsum pusillum distichon in causa fuit, ut posteriore tempore Pausaniae Simonidisque hospitium excogitaretur, mox etiam colloquiis illustraretur.

Magis etiam a vero aberravit hac in re Bergk — qui quidem Simonidem Lacedaemonii regis laudatorem agnoscere non dubitavit — quod repperisse sibi visus est, quod Lacedaemonii priori disticho exsculpto substituissent. Traditur ab uno Diodoro poetae nomine non addito (ep. 139 B): *Ἑλλάδος εὐρυχόρου σωτήρης τόνδ' ἀνέθικαν*, quod quidem Diodorus aureo tripodi incisum esse narrat, Bergk praeterea et ipsum Simonidi tribuit. Plane improbabilem esse coniecturam cum ex rerum natura tum ex scriptorum testimoniis clarescit. Nam cum neque Herodotus tripodem aureum describens

ullam epigrammatis mentionem faciat, neque Thucydides Pausaniae dum suum inferret alterum quoddam delendum fuisse prodat, hinc apparet statim ab initio cum dedicaretur nihil tripodi fuisse inscriptum. Deinde Pausaniae vaniloquio foedatus est. Quo abolito quid causae esse poterat cur priore consilio immutato distichon adderent? An Pausaniae exemplo melius se edoceri passi sunt? Vel hoccirca ne potuerunt quidem. Praeterea vero quid Thucydides? τὸ μὲν οὖν ἐλεγείον inquit οἱ Λακεδαιμόνιοι ἔξεκόλαψαν ἐνθάδε τότε ἀπὸ τοῦ τρίποδος τοῦτο καὶ ἐπέγραψαν ὀνομαστὶ τὰς πόλεις ὅσαι ξυγκαθελοῦσαι τὸν βάρβαρον ἔστησαν τὸ ἀνάθημα. Haec qui legit, fateatur necesse est verissime Thucydidis quae exscribit verba Nepotem interpretatum esse vit. Paus. c. 1: 'hos versus Lacedaemonii exsculpsērunt neque aliud scripserunt quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persae erant victi'. Quapropter cum Nipperdeio aliis omnem Diodoro abrogo fidem. Ficticiū est epigramma et si — id quod τόνδε pronomen v. 1 demonstrare videtur — in ipsius tripodis usum fortasse confectum; Simonidis autem carminibus, quibus nemo unquam veterum accensuit, utique eximendum.

Examinavimus quae Simonidea epigrammata Plutarchus memoriae prodidit. Omnia fere publicis monumentis inscripta ferebantur nobilissimosque affectaverunt locos. Quo memorabilius est, ne unum quidem eorum, quae utique subditicia esse vidimus apud ullum scriptorem Plutarcho Chaeronensi superiore traditum esse. Huius aetati notandum est praecessisse primos anthologiarum conditores Philippum Thessalicensem eoque centum fere annis vetustiore Meleagrum Gadarensem. Qui cum omnia omnium temporum epigrammata undique colligerent, sicubi sive aliorum fraude sive sua culpa in errores incurrerunt, genuina spuria, antiqua recentia haud raro iuxta aestimantes, non ita graviter castigandi sunt. Nam etsi sua cuique poetae reddere acriter studerent (cf. Meleagri et Philippi praeff.), tamen sobrio ac modesto plerumque iudicio usi esse videntur; quippe et Aristides et Plutarchus quamquam eorum quae in usum vocaverunt epigrammatum modo potuissent certe nominassent poetas florilegiorum ope fisi, tamen ἀδέσποτου quam ψευδεπίγραφα afferre maluerunt. At miraberis, cur horum ipsorum epigrammatum, quae Plutarcho debentur, si a Meleagro sive Philippo recepta fuerunt, neque ep. 135 nec 136 nec 137 in ea quam nos terimus Anthologia inveniantur. Sed sicuti n. 137 a Theopompo traditum fugisse Meleagrum ne probabile quidem est, ita fuisse alicuius anthologiae particulam inde patet quod Iriarte (Regiae bibliothecae Matrit. codd. mss. Matr. 1769

vol. I p. 263) ex Iani Lascaris quodam epigrammatum codice memoravit Aristoteli tributum. Possit quidem Lascaris ex Pindari scholiis epigramma petiisse; quippe singula eisdem apud eum vitiis laborant, quibus apud scholiastam. Verum unde Aristotelis nomen? Non Lascaris commentum est opinor; sed anthologiam aliquam adiiit ille. Quam qui condidit olim, quidni eum Alexandrinorum in Pindarum commentariis usum esse putemus? Unde simul corrupti paullatim lemmatis exemplum habes certissimum. Itaque quod nemo ignoravit denuo confirmatum est, minime omnes Meleagri aliorum copias integras ad nostram pervenisse memoriam.

Sed Meleagri Philippique Coronis vetustior quaedam extitit Simonidis epigrammatum sylloge. Bene sane nobiscum actum, quod grammatici quorum non tantum interesset epigrammata tradere quantum quid cuique poetae proprium esset perquirere, plenas ipsorum poetarum collectiones adire praeoptaverunt quam Anthologiae perscrutari copias, ubi hic illic dispersa iacebant. Illo antiquiore fonte si quem uti videmus, longe is certiore fide dignus est, velut Hephaestio c. 26 cum scribat: *πάν μέτρον εἰς τελείαν περαιούται λέξιν, ὅθεν ἐπὶ ληπτὰ ἔστι τὰ τοιαῦτα Σιμωνίδου ἐκ τῶν Ἐπιγραμμάτων* (sequitur ep. 131), apparet peculiarem Simonideorum epigrammatum eum syllogen significare. Item Herod. π. μον. λέξ. 45, 2: *καὶ πληθυντικῶς Σιμωνίδης ἐπὶ πρῶτον προσώπον, ὥς καὶ ἐν τοῖς Ἐπιγράμμασιν* (seq. frgm. corruptum 166). Et disertius etiam si fieri potest Apio ἐν τοῖς περὶ Ῥωμαικῆς διαλέκτου apud Athen. XV 680 d: *καθὼς ἐν τοῖς Σιμωνίδου Ἐπιγράμμασιν ἰδεῖν ἔστιν* affrens corruptum epigramma 174. Denique Trypho ap. Boisson. Anecd. III 274: *ὥς καὶ Σιμωνίδης ἐν Ἐπιγράμμασιν* fr. 159. Etiam quinto loco videatur haec sylloge Simonidea memorata esse. Stobaeus enim ecl. phys. I, 8, 15 de temporis pretio ac virtute documentum affert hoc distichon:

*οὐκ ἔστιν μείζων βάσανος χρόνου οὐδενὸς ἔργου,
ὃς καὶ ὑπὸ στέροισι ἀνδρὸς ἔδειξε νόον.*

ubi 'Ursinus ex codice notavit Simonidi adscriptum esse ἐκ τῶν Ἐπιγραμμάτων'. Bergkii adn. fr. 175. Quae verba non video cui omnino epigrammatum generi adaptari possint. Non aequo audacius diserto illi testimonio diffido elegiaeque potius particulam esse suspicor. Similis error in scholio Laurentiano ad Greg. Naz. c. Iul. c. 30 nuperrime a Kirchhoffio ex Piccolomini auctoritate in Herma VI, 489 edito: *λέγει δὲ καὶ Σιμωνίδης — εἷς δ' οὗτος τῶν θ' ἑλρικῶν — ἐν ἐπιγράμματι φηθέντι αὐτῷ ἐπὶ τοῖς Μαραθῶνι πεσοῦσιν τῶν Ἀθηναίων τὸν σίχον τοῦτον· μηδὲν ἁμαρτεῖν ἔστι θεοῦ καὶ πάντα κατορθοῦν*, qui ver-

sus haud dubie ad elegiacum de pugna Marathonica carmen pertinet; cf. vit. Aeschylī (Westerm. *Biogr.* p. 119): κατὰ δ' ἐνίοις ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ. Distichon autem fr. 175 nemo est quin statim intellegat, de quo potissimum viro accipiendum sit. Aristidis enim exulis amicissima erga ingratos cives voluntas cum ardua tempora instarent optime cognita est. Itaque ex carmine in pugnam Salaminiam a Simonide scripto distichon desumptum esse puto. Recte enim Bergk ad fr. 83 Suidae (s. v. Σιμωνίδης) errorem sic correxit: καὶ ἡ ἐπ' Ἀρτεμισίῳ ναυμαχίᾳ μελικῶς, ἡ δ' ἐν Σαλαμῖνι δι' ἐλεγείας.

Qua Hephaestio Herodianus alii utebantur epigrammatum sylloge, ab Alexandrinis nimirum grammaticis condita est. At Callimachus quamquam Simonidis epigrammatis utpote ipsum in hoc genere non mediocriter versatum accuratiorem quandam operam eum impendisse probabile est¹, tamen non ea tantum quae ab omni suspicione libera essent in tabulas suas rettulisse videtur. Aristophanes enim Callimacheae operae amplificator doctissimus teste Eustathio (1761, 25) ep. 163: πρόσθε μὲν ἀμφ' ὥμοισιν κτέ. Simonidis esse dixerat; attamen nullum fere certiore ratione ei abiudicare possumus, Aristotele nempe teste freti. Qui in Rhet. I, 7 (p. 1365 a 24): ὅθεν καὶ τὸ ἐπίγραμμα τῷ ὀλυμπιονίκῃ· πρόσθε μὲν κτέ. atque adeo ibid. c. 9 (p. 1367 b 17): καὶ τὸ τοῦ ὀλυμπιονίκου· πρόσθε μὲν κτέ. καὶ τὸ τοῦ Σιμωνίδου· ἡ πατρὸς τε καὶ ἀνδρὸς ἀδελφῶν τ' οὕσα τυράννων (ep. 111). Recte Bergk apparere ait, 'Aristoteli auctorem vel prorsus ignotum vel alium fuisse'. Utrum verum esset, miror virum egregium haesisse. Aristotele enim quem ad victorum Olympicorum catalogum conficiendum etiam epigrammata quibus illi celebrati essent collegisse par est, Alexandrini grammatici non hercle plus sapere poterant. Non importunum est Aristophanis locum accuratius inspicere. Scribit autem Eustathius l. s. s.: Ὁ δὲ τὸν σάννας τοῦτον παρασημηγόμενος Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς καὶ ἄλλας ἐκτίθεται καινοφώνους λέξεις, οἷον αἰλλαν, σκεῦδς π ἰχθυρόν, οὗ χρῆσις παρὰ τῷ Σιμωνίδῃ ἐν τῷ· Πρόσθε μὲν κτέ. Patet σάννας vocabulum eodem loco atque αἰλλα a grammatico tractatum fuisse; σάννας autem (= μωρός) Miller *Mélanges* p. 427 ex eo Aristophanis λέξεων capite affert, quod inscribitur περὶ τῶν ὑποπτενομένων μὴ εἰρῆσθαι τοῖς παλαιοῖς. Sunt autem haec eae λέξεις, quae aliis videbantur antiquis scriptoribus non usurpatae

¹ Imitatur Simonidem Callimachus ep. 14 Schn.: Αἰμίμονα τίς δ' εὖ οἶδεν τὸν αὔριον; coll. Sim. fr. 210 B.

esse, quas tamen esse antiquas Aristophanes comprobare studebat. Itaque non satis victrici manu Aristophanem illos refutasse intellegis.

Medius autem Aristotelem inter et Callimachum homo fuit cuiuslibet generis narratiuncularum captiosus, Chamaeleontem dico Heracleotam, cuius libellus *περὶ Σιμωνίδου* scriptus tribus Athenaei locis memoratur. Novimus quam solitis armis ille Simonidem ita tentaverit, ut nec hodie poetae animus ea qua par est integritate apud nostrates niteat: tot maculas ille ei aspersit. Epigrammatis autem ipsis de quibus nos quaerimus non multum profuisse Chamaeleontis opera videtur; nisi quod haud dubie nonnullis carminibus perversae et commenticiae interpretationis caliginem obduxit. Omnes enim, si recte intellego Athenaeum, quae aenigmatis Simonidei (fr. 172 B.) ferebantur explicationes Chamaeleon collectas tradidit, qui quid ipse senserit excogitaveritque non elucet. Chamaeleonti ni fallit coniectura auctori debuit etiam Callistratus Aristophaneus quae de trium distichorum (fr. 168) origine narrasse traditur ab Athen. II, 125 C. Simillima enim est haec narratiuncula ei, quam ex Chamaeleonte servavit Athen. XIV, 656 C.

Non sine causa supra vidimus Thucydidem poetae nomen tacuisse in Pausaniae dedicatorio; paullo obscurius eiusdem silentium est de Archedicae Hippiae filiae epitymbio quod adscripsit VI, 59 (ep. 111 B.). Hippian narrat suum regnum ut firmaret Aiantidi Hippoclis Lampsacenorum tyranni filio Archedicam filiam in matrimonium collocasse; *καὶ αὐτῆς σῆμα ἐν Λαμψάκῃ ἐστὶν ἐπιγρᾶμμα ἔχον τὸδε. Ἄνδρὸς ἀριστεύσαντος κτῆ.* Simonidis esse docet Aristot. Rhet. I, 9 (p. 1367 b 20), qui versum tertium suae argumentationi adhibuit: *καὶ τὸ τοῦ Σιμωνίδου κτῆ.* Thucydides nescierit plane qui fecerit epigramma an nominando eo supersedendum putaverit, equidem non diiudico. Tamen alterum longe minus probabile; immo videtur ipsius lapidis apographo usus esse, in quo nomen additum non erat. Forsan tunc nondum collecta fuerint Simonidis epigrammata, fuerint autem Aristotelis aetate, qui cum non soleat inexplorata pro certis vendere nobis testis esse debet locupletissimus.

Ab Aristotelis aetate non admodum remotus fuisse videtur auctor, ex quo Pollux V, 47 celeberrimos canes enumerans Simonidis in Lycadem canem Thessalam epigramma tradidit (ep. 130 B.): *Ἡ σὺν καὶ φθιμένης κτῆ.* Exempla enim praecipua quae protulit ut taceam de fabulosis canibus ad Alexandri Magni tempora pertinent, unus tantummodo Pyrrhi canis quem primo loco nominat illis inferior est.

Ampla certissimorum testium multitudo citari potest de egregio in Antiochidis tribus victoriam carmine (ep. 147 B.). Omnia diligenter composita v. ap. Schneidew. p. 192 sq. Ultimum distichon hoc est:

ἀμφὶ διδασκαλίῃ δὲ Σιμωνίδῃ ἔσπετο κῦδος
 ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.

Adimantus enim victoriae archon eponymus magistratum gessit ol. 74, 4. Adscribam Marm. Par. locum (epoch. 54): 'Α]φ' οὗ Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπους ὁ Κεῖος ὁ τὸ μνημονικὸν εὐρὼν ἐνίκησεν Ἀθήνησιν διδάσκων καὶ αἱ εἰκόνες ἐστάθησαν Ἀρμόδιον καὶ Ἀριστογείτορος, ἔτη ΗΗΔΙΙ[Ι], ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀ]δειμάντου. Iam lege ep. 146:

Μνήμην δ' οὐτὰνὰ φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
 ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.

Itane? haecine de se ipse Simonides? Et cur ipso octagesimo anno memoriae iactat virtutem? quasi postremo decennio haec periisset. Sed nihil restabit dubitationis Marm. P. verba supra exscripta comparanti: Σιμωνίδης — ὁ τὸ μνημονικὸν εὐρὼν, unde sciolus aliquis Adimanto archonte artem mnemonicam poetam invenisse collegit; artem autem cum invenisset, tunc etiam ipsum praecipua memoriae firmitate valuisse necessarium putavit. Iam vero unde ille Marmoris testimonium cognitum habuit? unde simul pentametrum? In promptu est coniectura, epigrammatum Simonidis exemplo eum usum esse notulis adaucto, in his autem vel ipsa Marmoris verba vel simile quid adscriptum fuisse. Miro iudicio usum vide Schneidewinum ad ep. 204, p. 194. — Valeat itaque Aristidis auctoritas (II, 510), qui et ipse memoravit epigramma: *τοῦτ' ἄρ' οὐχ ἕτερος δῆπου περὶ τοῦ Σιμωνίδου λέγει, ἀλλ' αὐτὸς εἰς αὐτὸν πεποίηκεν.*

Recentis admodum aetatis titulus C. I. 1051 Megaris inventus epigr. 107 continet hoc praefixo lemmate: *τὸ ἐπίγραμμα τῶν ἐν τῷ Περσικῷ πολέμῳ ἀποθανόντων καὶ κειμένων ἐνταῦθα ἡρώων· ἀπολόμενον δὲ τῷ χρόνῳ Ἑλλάδιος ὁ ἀρχιερεὺς ἐπ[εσκέυασε]. Σιμωνίδης· Ἑλλάδι καὶ Μεγαρεῦσιν ἐλεύθερον ἄμαρ ἀέξειν κτέ.* Deinde: *μέχρις ἔφ' ἡμῶν δὲ ἡ πόλις καὶ ταῦρον ἐνήγιζεν.* Epigramma ipsum pessime scriptum foedis vitiis scatet, pentametrum tertium plane omisit incuriosus lapicida, ut minime omnia in integrum restitui possint. Antiquitatis sane certa quaedam vestigia, veluti v. 4 ΕΑΓΝΑΕ recte Boeckh interpretatus est: *φαγνῆς*. Quamquam apographo haud ita probo nitimur. Simonidis nomen unde rescierit Helladius nescio. Molesta quaedam versuum garrulitas, cum quo quodque vetustius est epigramma atticum eo magis excellat brevi-

tate, et dictionis inelegantia vehementer displicet. Sed non sufficiunt haec ad Helladii auctoritatem reprobendam. Theocriti certe scholiasta dum ad id. XII, 27: καὶ Σιμωνίδης ἐπαινεῖ τοὺς Μεγαρέας adnotat, illud epigramma non spectavit, cf. Bergk ad fr. 199. Fortasse ex hoc ipso scholio epigrammati Simonidis nomen accessit.

Iam eo devenimus ut cum sola Anthologia, sublestae sane fidei teste agendum sit; haec enim quae supersunt epigrammata omnia ¹ sola servavit, raro aliunde subsidium accedit. Intellegitur cur saepe in his verum certumque iudicium desperandum sit, ut satius fere videatur singula quae possint disceptari seligere, reliqua peritioribus relinquere.

Supra monui, non bonae aetatis morem fuisse, quantum quidem ex inscriptionibus effici posset, ut res in epigrammate tractatae peculiari praemisso lemmate explicarentur; versus enim ipsi omnem necesse erat comprehenderent explicationem. Firmatur haec lex Simonideis quibusdam quae feruntur cum epitymbiis tum dedicatoriis.

Ante omnia Simonidi abiudicanda cum Bergkio aliis epp. 95 et 96 manifesto demonstrativa. Utrumque recte fortasse eidem poetae tribuamus; nam consimile et verborum et sententiarum acute distinctarum genus est. Cf. 95, 3: Ἑλλάδι — περιθῆναι et 96, 1: Ἀσβεστον — θέντες. Virtutis et immortalitatis laus utrique communis. Alteri carmini praeterea vitium inhaerere videtur, quod si Simonideum teneremus vix ferendum esset. Frustra enim v. 2 hiatum coniectando summovere studuerunt editores, cuius tamen apud aequales poetas elegiacos vix exemplum omni dubitatione immune reperias. Theognidis enim vv. 478 et 1066 etiam alias ob causas corrupti videntur. Ac vero v. 366: δειλῶν τοι τελέθει ὀξυτέρῃ καρδίῃ hiatus Brunckii demum transpositioni debetur; cōdices enim καρδίῃ ὀξυτέρῃ, quod recte Bergk καρδίῃ ὀξυτέρῃ scripsit ². Duo autem unde exorsa est oratio epigrammata vicinis locis tradita sunt in Anthol. Pal. VII, 251 et 253. Praecedunt epp. 248—250 falso Simonidis nomine notata; deinde ep. 96 Ἀσβεστον κλέος οἶδε κτέ. cum lemmata τοῦ ἀντοῦ, quod quantilli pretii sit post tria spuria patet. Sequitur Antipatri distichon (VII, 252), tum Simonidis ep. 95, denique eiusdem epp. 108 et 127. Manifesto deprehendimus

¹ exceptis duobus a Pausania traditis epp. 152 et 160, cui quamnam fidem debeam adhuc haereo.

² Ne in Pepli quidem Aristotelei ep. 39 sana lectione hiatus constat. Leguntur enim haec: Φεῖδιππον Τροίην πέρσαν' ἡδ' Ἀντιφον ἦρω — γαῖα παρὶς κόμη' ἡδ' Ἐφύρα κατέχει, quae vix dubito quin sic emendanda sint: γαῖα παρὶς κοινὴ τῇδ' Ἐ. κ.

diversas duas disponendi rationes: primum enim compluria epigrammata adespota exceperunt sese, quae omnia Simonidis nomen traxerunt. Deinde argumenti ratione habita Antipatri carmen — si quidem est Antipatri; ap. Plan. ἄδῃλον inscribitur — medium interiectum est. Neminem enim fugit in tribus illis epp. 251. 252. 253 singularem virtutis (ἀρετῆς) laudem efferri. Iam ex ordine priore continuantur Simonidea, quorum primum certa via damnavimus. Alterum ex lemmatis natura suspectum saltem est (ep. 108), spurium evincitur ex rerum ratione. Nam Athenienses quod dicuntur πλείστοις Ἑλλήνων arma intulisse, rectissime Schneidewin bellum Peloponnesiacum significari existimat. Infelicius rem gerit Bergk, dum Simonidi vindicare studet: 'fortasse ad bellum pertinet, quod ol. 68 Spartani eorumque socii Cleomene et Demarato ducibus, quorum auspicia etiam Boeoti et Chalcidenses secuti sunt, Atheniensibus intulerunt'. Hoc etenim bello postquam Lacedaemonii cum Corinthiis infecta re domum discesserunt, οἱ λοιποὶ τῶν συμμάχων — οἶχοντο (Herod. V, 75. 77), ut iam cum solis Boeotis et Chalcidensibus debellaretur. Cf. ep. 132. — Claudit agmen Simonideum (Anth. P. VII, 254*) ep. 127, quod in superiore Codicis margine diversa manu scriptum est hoc lemma: εἰς Βρόταχον Σιμωνίδου. τοῦτο δισσωῶς κεῖται. Posteriori manu non satis fidei habeo; cf. dissert. meae s. s. p. 11.

Quibus cum hostibus pugnaverint qui ep. 103 mortui deplorantur Tegeatae fortissimi, non proditur, unde iustam puto Bergkii de Simonidis auctoritate dubitationem. Insertum est perpetuo eiusdem carminum ordini (Anth. VII, 507—516), quorum pars certe iniuria Simonidis nomen iactat. Ep. 507 (124 B.) spurium esse persuasit mihi Iunghahn (p. 39); quod sequitur epigramma in Pausaniam medicum certatim sibi expetunt Empedocles (ap. Laert. D. VIII, 65) et Simonides (Anthol.); in Planudea denique ἄδῃλον est. De epp. 509 et 510 nihil equidem praeceperim, quamquam posteriori quaesitam quandam mollitiem exprobat Iunghahn ac praeterea fortasse v. 4 vocabuli Χίον producta syllaba prima recentioris aetatis indicium est, coll. tit. 2486 apud Kumanudem (Ἀττικῆς ἐπιγραφαὶ ἐπιτύμβιοι p. 295): Χῖος ἀγαλλομένη Συμμάχῳ ἐστὶ πατρίς cum adnot. editoris. — Ep. 511 (ep. 113 B.) mihi contra ac Bergk statuit integrum videtur; desidero enim nihil fere magis quam in tit. ap. Welck. Syll. 48 ex illius similitudine confecto:

Τιμόθεος ὁ πάτρας ὅσιος φῶς κτέ.

ἃ τάλαν οἰκτεῖρω σε πολυκλαύσῳ ἐπὶ τύμβῳ

νῦν δὲ σὺν ἡρώων χῶρον ἔχεις φθίμενος.

Nam versu Simonideo ¹ οἰκτιρῶ (vel potius οἰκτιρῶ cf. Kirchhoff Sitzgsber. d. Berl. Akad. 1872 p. 240 sq.) σε τάλαν, Καλλιὰ οἷ' ἔπα-
 θες egregie et breviter mortui fata descripta sunt. Certissimo autem
 telo ep. 512 (103 B.) e genuinorum numero exturbabimus, quod
 antea significavi demonstrativum esse Tegeatarum epitaphium. Fru-
 stra bella Tegeatica circumspicies; hoc enim epigramma in propa-
 tulo est pariter ep. 104 B. mera sententiarum acumina sectari: res
 et homines raro curat poeta epidicticus. — Sequuntur in Antho-
 logia cc. 513—516, quorum postremum infima aetate ortum esse
 docet Iunghahn p. 17. Ep. 513 (114 B.) apte comparavit Bergk
 cum simillimo A. Pal. VII, 647 (116 B.), ubi inscribitur Σιμωνίδου.
 οἱ δὲ Σιμμίου. Ex utriusque similitudine ita ut alia ex alio mu-
 tuari videatur Anyte confecit ep. A. Pal. VII, 646. Itaque fors an
 non solum — quae Bergkii est coniectura — Anytae carmen idque
 quod Simonidis sit an Simmiae ambigitur (116 B.), sed omnia tria
 (Sim. 114. 116. Anytae VII, 646) ad antiquioris epigrammatis exem-
 plum composita sint. Quod cuius aetatis fuerit, dubium sane est;
 at non neglegenda quae vere Bergk observasse videtur de ep. 116:
 'Tum demum satis intellegi potest, si statuamus in monumento se-
 pulcrali filiae matri valedicentis imaginem insculptam fuisse, cuius-
 modi anaglypha an iam antiquior Graecorum ars noverit, valde
 dubito'. Idem in ep. 114 valere putat. Nonnihil firmatur suspicio
 elegantissima ex ep. 6 Welckeri syll., cuius est aliqua cum Sim. 114
 similitudo:

Σῆς ἀρετῆς μνημεῖα, Θεορίλη, οὗ ποτε λήσει,
 σώφρων καὶ χρηστὴ πᾶσαν ἔχουσ' ἀρετήν.

ubi Welcker: 'sub anaglypho duas repraesentante feminas, quarum
 altera porrecta dextra adstans sedentem alteram quae iter tenebri-
 cosum ingressura est longum valere iubet'.

Talia si revera antiquis temporibus ignota fuerint, ita ut Si-
 monidis epigrammata esse nequeant, vides quam dubium sit lemma
 epigr. 515 τοῦ αὐτοῦ, cuius primum distichon torta mirum in modum
 dictione utitur. Imitatus autem est poeta C. I. 6231: δὲ θνητοῖς
 ψυχὴν πείσας ἐπὶ σώμασιν ἔλθειν — τὴν αὐτοῦ μέλεος οὐκ ἀνέπεισε
 μένειν. Ep. VII, 514 denique quid sibi postulet iudicii haereo.
 Αἰδῶς inquit καὶ Κλεόδημον ἐπὶ προχοῇσι Θεαίρου — ἀέναον στο-
 νόεντ' ἤγαγεν εἰς θάνατον — Θρηϊκίῳ κύρσαντα λόχῳ κτε. Non satis

¹ si quidem est Simonideus. Nam etsi vix habeo quod contra
 dicam, tamen poeta quod mortuum alloquitur, non satis antiquum hoc
 mihi videtur.

dilucidum agnosco poetam. Nusquam enim Cleodemum fugere noluisse legimus. Bergk (ad ep. 116) et Iunghahn (p. 42) ignoto alicui poetae tribuunt: suspectum certe est utpote in tanta subditiorum nube adsconditum.

Ep. 117 B. non hercle saeculi V epitymbium est; pro elegiae parte ut habeam, paene effecit U. de Wilamowitz amicus. — Demonstrativa ep. 143 et 144 B. anathematica unius poetae ingenium redolent; quis dedicaverit neutro loco proditur. — Ep. 161 elegantem poetam non testatur:

*Κίμων ἔγραψε τὴν θύραν τὴν δεξιάν·
τὴν δ' ἐξιόντων δεξιὰν Διονύσιος¹.*

Melius fere Bergkio cessit opera (Poet. l. II p. 634), dum ex Plinii loco tale elicit epigramma:

*Δαμόφιλος εἰσιόντι τὴν μὲν δεξιάν
ἔγραψε, Γόργιασος δὲ τὴν ἀριστεράν.*

Et hoc (161 B.) et quod praecedit in Anthologia (X, 757) epigramma in Planudea demum Simonidis nomen nacta sunt. Palatinum lemma in priore mutilum est, in altero τοῦ αὐτοῦ habet.

Nec de ep. 156 B. scrupulos mihi motos esse tacebo. Traditur in sola Anth. Plan. 24:

*Μίλωνος τόδ' ἄγαλμα καλοῦ καλόν, ὃς ποτὶ Πίσῃ
ἐπτάκι νικήσας ἐς γόνατ' οὐκ ἔπεσεν.*

Apertum quidem mendacium; cf. Paus. VI, 14, 2 ubi Milonis statuatam a Damea Crotoniata factam extare narrat Olympiae: ἐγένοντο δὲ τῷ Μίλῳ ἐξ μὲν ἐν Ὀλυμπίᾳ πάλης νίκαι — ἀφίκετο δὲ καὶ ἑβδομον παλαιῶν ἐς Ὀλυμπίαν. ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐγένετο οἷος τε καταπαλαῖσαι Τιμασίθεον πολίτην τε ὄντα αὐτῷ καὶ ἡλικία νέον, πρὸς δὲ καὶ σύνεγγυς οὐκ ἐθέλοντι ἴσταςθαι. Miloni sexies victori — neque enim his in rebus Pausaniae fides neganda — non poterat epigramma publico simulacro insculptum septimam impune affingere². Aut igitur cum Bergkio scribendum ἐξάκι — quod tamen nemo facile crediderit — aut nunquam fuit carmen Milonis statuae inscriptum. Atque pentametri quidem singularis est indoles; declinatus enim paullulum videtur ex alio exemplari. Cf. Simonidis in Dandem cursorem epigr. 125 B.:

*Ἀργεῖος Δάνδης — ἐνθάδε κεῖται,
νίκαις ἐπρόβοτον πατρίδ' ἐπενκλεῖσας,*

¹ Bene lusum perspexit Hirschfeld tit. statuar. p. 18.

² Eadem ex causa recens fictum ep. ap. Paus. VI, 13, 10, ubi Phidolae filii duplicem sibi victoriam vindicant, cum tamen Ὀλυμπιονίκων ἀναγραφαί semel tantum eos vicisse testentur.

atque ep. Anthol. App. 308: *Χαῖρε Κλέων Θήβας πατρίδ' ἐπεν-
κλείσας*. Denique tit. in Mus. Rhen. VII, 619:

Εὐφροάτης παῖς ἦλθον, ἔθ' αἱ πλοκαμεῖδες ἐπῆσαν·

ἑξάκι νικήσας πατρίδ' ἐπηνκλείσα,

cuius pentameter archetypo proximus videtur coll. Milonis epigr. Itaque hanc expectares Milonis laudem: *ἐπτάκι νικήσας πατρίδ' ἐπην-
κλείσεν*. Sed longe aliud idque multo vilius profertur: *ἐς γόνατ' οὐκ ἔπεσεν*. Hinc iocantem nescio quem arbitror poetam notissimam clausulam immutasse, ut tamen nemini non statim quid rei esset suboleret; etiam hoc eleganter ridenti poetae dandum puto, quod septima adulterina athletae victoria celebratur. Simonidis num fuerit iocus dubito; Anthologiae lemma *τοῦ αὐτοῦ* non magni facio.

Alia in censura libelli Iunghahniani tetigi Fleckeiseni annalibus inserta; quae nihil attinet huc repetere. Continuam enim de Anthologiae in tradendis Simonidis epigrammatis fide atque auctoritate disputationem scribere nec volui nec potui.

Nihil fere habeo quod addam disputatis. Alia in suspicionem vocavi, alia ne attigi quidem; nonnulla tamen certa ratione ni fallor expedivi. In his autem ea praecipue epigrammata erant, quae publicis monumentis per bella Persica constitutis insignivisse credebatur Simonides. Omnia fere aliena cognovimus ab eo; cuius tamen summam gloriam ex his ipsis poematiis repetere hucusque solebamus. Quae vana opinio si unde nata sit quaerimus, veterum nemo fere respondet. Laudatur Simonidis ars innumeris locis; at melica tantummodo carmina et *εὐτράπελοι* praeterea *λόγοι* — ut Plato eum in sapientium numerum una cum Biante et Pittaco adsciscere non dubitaret — praecipuam ei gloriam conciliasse videntur. Epigrammatographum Simonidem noverunt Suidas et Tzetzes, quorum fontes ea aetate recentiores sunt, qua in eius nomen cumulabantur quaequae poterant. Praeterea nullum habemus nisi Pausaniae testimonium IX, 2, 5: *κατὰ δὲ τὴν ἔσοδον μάλιστα τὴν ἐς Πλάταιαν τάφοι τῶν πρὸς Μήδους μαχεσαμένων εἰσὶ· τοῖς μὲν οὖν λοιποῖς ἔστιν Ἑλλήσι μνημῆμα κοινόν. Λακεδαιμονίων δὲ καὶ Ἀθηναίων τοῖς πεσοῦσιν ἰδίᾳ τέ εἰσιν οἱ τάφοι καὶ ἐλεγείᾳ ἔστι Σιμωνίδου γεγραμμένα ἐπ' αὐτοῖς*. Contra Herodotus IX, 85: *οἱ δὲ Ἕλληνες ὥς ἐν Πλαταιῇσι τὴν λήην διείλοντο, ἔθαιπτον τοὺς ἐαυτῶν χωρὶς ἑκαστοί. Λακεδαιμόνιοι μὲν τριξὰς ἐποίησαντο θήκας, ἔνθα μὲν τοὺς ἱρένας ἔθαψαν — ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ οἱ ἄλλοι Σπαρταῖται, ἐν δὲ τρίτῳ οἱ Ἐλλωτες. οὗτοι μὲν οὕτω ἔθαιπτον, Τεγεῆται δὲ χωρὶς πάντας ἀλέας, καὶ Ἀθηναῖοι τοὺς ἐαυτῶν ὁμοῦ καὶ Μεγαρέες τε καὶ Φιλιάσιοι τοὺς ὑπὸ τῆς Ἴππου διαφθαρέντας· τούτων μὲν δὴ πάντων πλήρεις ἐγένοντο οἱ*

τάροι κτῆ. Nihil hic de titulis. Atque apparet omnia Pausaniae aetate apud Plataeas satis mutata fuisse. Multos illos quos memorat Herodotus tumulos postquam temporum invidia abolevit, posteriores homines piam proavorum virtutis memoriam servantes monumenta instauraverunt, eorum saltem qui etiamtum nobilem inter Graecos obtinuerunt locum, Atheniensium et Lacedaemoniorum; reliquis autem unum omnibus commune constituerunt sepulcrum. Neque epigrammatis vacare tumulos aequum censuerunt, cuius poematorum generis ferax erat aetas recentior. At quae salva viderat Pausanias Atheniensium et Lacedaemoniorum sepulcra quid haec vetusta esse negemus, quid quae insculpta his legerat ille epigrammata Simonidi abrogemus? Mirum esset, si ea solummodo superfuissent carmina quae Athenienses Lacedaemoniosque mortuos celebrarent; neque enim cum hi quondam Simonidis operam impetrassent ceteros credibile est ἀνεπιγράφοις suos cives iacere passuros fuisse. Quorum epitaphia si reperta essent posteriore aetate, eis quoque tumulos renovassent; tacet vero Pausanias. Itaque deceptum esse puto periegetam incolarum rumoribus; epigrammata autem quae vidisse se ait cum praesertim Herodotus qui eorum qui apud Thermopylas ceciderunt epitymbia omnia tradidit ne verbo quidem memoraverit quamvis accurate ipsa sepulcra describens, recentiore existimo aetate lapidibus incisa esse. Videtur autem praecipue Simonidis his in rebus gloria inde fluxisse, quod eum celebratissimis carminibus seu μελικῶς sive ἐλεγιακῶς Graecorum contra Persas bella cecinisse sciebant; etenim exemplis demonstravi, crebrius a grammaticis elegiaca eius carmina falso epigrammatum nomine appellata esse.

Bonnae, m. Sept. 1872.

Nachschrift zu S. 459.

Die von unserem Herrn Mitarbeiter erwähnte Recension der Jung-
hahn'schen Schrift ist in Fleckeisen's Jahrbüchern (B. 105, 1872 S. 793 ff.)
vor einigen Tagen erschienen.

D. Red.